



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. De devolutione potestatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum compromissariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tali casu ad certum tempus restrictum sit, vel si re adhuc integra (id est, si nondum ad substantialia in negotio compromissi processum sit, capto v. g. jam tractatu de eligendo) compromissum revocetur, quam revocationem facere posse Compromittentes, non quidem, re non amplius integra, sed re adhuc integra, ex cap. in causis 30. h. t. patet, quia re nondum incepta, nondum censetur in Compromissariis radicata eligendi per compromissum facultas, nisi compromissum factum fuisset, in gratiam & favorem Compromissariorum, quod cum factum sit per modum liberalis donationis, revocari amplius non potest, etiam si res integra adhuc esset.

§. IX.

De devolutione potestatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum Compromissariorum.

Casu quo Compromissarii intra tempus à jure præfixum eligere per culpabilem negligentiam intermittant, devolvitur potestas eligendi non ad Capitulum, quod Compromissarios elegit, sed ad proximum Capitulum talis superiorem; si vero intra tempus à jure præfixum eligant quidem, eligant tamen indignum, sive scientes sive ignorantes hunc elegerint, redit potestas eligendi ad compromittentes; uti etiam in illo casu, quo electus per compromissarios tenuit in eam sui electionem consentire: prout hæc omnia in c. si Compromissarius 37. h. t. in 6. deciduntur. Tum quod negligentia Compromissariorum ipsis in primo casu compromittentibus, qui debito modo Compromissarios non urgebant, ad-

scribi debet, & consequenter devolutio fieri debet in hoc casu juxta communia jura; tum quod dolus commissarii in committendo consistens obesse non debeat Principali, si hic non est in culpa, prout in culpa non sunt compromittentes, si à Compromissariis indignus eligatur, qui est secundus casus: Tum quod denique Compromissarii functi sint officio suo, dum pro illa vice eligebant, quod solum illis concessum fuit, quamvis sui electionem admittere non velit electus, qui tertius casus est relat. c. si Compromissarius.

§. X.

An, & quomodo electio Pralati debeat fieri liberè?

Certum est, quod substantialiter ad Canonice electionem requiratur, ut liberè illa facta sit ab eligentibus; & hinc nulla consuetudine introduci potest, ut fiat dependenter ab arbitrio alicujus tertii, quod necessariò eligentes sequi debeant, uti habetur in c. cum tertio 14. h. t. cum nomen, & natura electionis importet, penes eligentes esse libertatem, unam aliquam, ex pluribus propositis præoptandi: nihil tamen huic libertati obest, si post electionem factam electus intimari debeat Principi v. g. vel Patrono Ecclesie, non quidem, quasi ad validam electionem consensus illius requiratur, sed quod ut sic, si consensus suum in electum Princeps talis, vel Patronus dederit, certius & securius patrocinium illius, ac defensio electi sperari possit; & hinc consuetudo, hujus consensus taliter etiam à Laico requirendi, valida est, & sæpè multum Ecclesie utilis.

§. XI.